

plinis, præceptis & consilijs creatoris disputaturus, ut deo dignis & bonitati cōsentāneis, à scelere primum excusat Aegypti dirēptionem ab Hebraeis factam, Deinde refellit aliquot Antitheseis de arcæ circumlacione, de aëneo serpētis simulachro, de sacrificijs, de reprobatione quorundam probatorum, & approbatione reproborum, de pœnitentia diuina, de Adæ & Abelis ignorantia, de descensu dei, de iuramento, & demum de CHRISTI indignitatibus quas sponte suscepit, postremo Antithesibus Marcionis, Antitheseis alias opponit, malo nodo (quod aiunt) malum quarens cum neum, & ineptijs ineptias refellens. Porrò Marcion opus ædiderat Antitheses inscriptum, hoc est pugnantes inuicem positiones, quo conabatur legem ab Euangelio separare, & duos indicare deos, sed diuersos, ueteris instrumenti laeuum, noui mitem. Aduersus id Antitheseon opus, hos quinque libros ueluti quandam aciem Tertullianus dirigit, ne quis hic tantum putet contra illas agi. De hoc in principio quarti libri plura reperies.

Q. SEPTIMII FLOREN

TIS TERTULLIANI, AD
VERSUS MARCIONEM
LIBER SECVNDVS.



OCASIO reformandi opusculi huius, cui quid acciderit, primo libello præfati sum⁹, hoc quoque contulit nobis, uti duobus diebus aduersus Marcionem retractandis, suū cuique titulum & uolumen distingueremus pro materiæ diuisione, alterum deum definiētes omnino non esse, alterum defendentes digne deum esse: quatenus ita Pontico placuit, alterum inducere, alterum excludere. Non enim poterat ædificare mendacium sine demolitione ueritatis: Aliud subruere necesse habuit, ut quod uellet extrueret. Sic ædificat, qui propria paratura caret. Oportuerat autem in hoc solum disceptasse, quod nemo sit deus ille qui creatori superducitur, ut falso deo depulso, regulis certis & unicam & perfectam præscribentibus diuinitatem, nihil iam quæreretur in deum uerum: quem quanto constaret esse, sic quoque dum alium esse non constat, tanto qualemcumque sine controuersia haberi deceret, adorandum potius quam iudicandum, & demerendum magis quam retractandum, uel quam timendum ob seueritatē. Quid enim amplius homini necessarium, quam cura in deum uerum, in quem (ut ita dixerim) inciderat, quia alius deus non erat. At nunc negocium patitur, deus omnipotens, dominus, & conditor uniuersitatis. Ideo tantum opinor, quia à primordio notus est, quia nunquam latuit, quia semper illuxit, etiam ante Romulam ipsum, nedum ante Tiberium, nisi quod solis hæreticis cognitus non est, qui ei negocium faciunt: Propterea alium deum existimantes.